

pletur Tempus Paschale. — Pars tertia, *Æstiva*, a Festo SS. Trinitatis incipit, decurrens usque ad primam Dominicam Septembbris, in qua sumitur quarta pars, *Autumnalis*, quæ protrahitur usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, quæ reducit ad Adventum.

Pro Festis Sanctorum singula ex quatuor partibus continet Officia sequentia : *Hiemalis*, a 29 Novembris, pro Commemoratione S. Saturnini, Martyris, usque ad 12 Martii, in Festo S. Gregorii I, Papæ, Confessoris et Ecclesiae Doctoris ; — *Verna*, a 6 Februarii, in Festo S. Titi, Episcopi et Confessoris, usque ad 19 Junii, in Festo S. Julianæ de Falconerii, Virginis ; — *Æstiva*, a 3 Maij, in Festo Inventionis S. Crucis, usque ad 2 Septembbris, in Festo S. Stephani, Hungariæ Regis, Confessoris ; — *Autumnalis*, a 29 Augusti, in Festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, usque ad 2 Decembris, in Festo S. Bibianæ, Virginis et Martyris.

In qualibet parte præmittuntur præludia quædam, nempe : 1º Bullæ diversæ Summorum Pontificum ; neconon litteræ Ordinarii, quibus constet de imprimendi facultate, de omnimoda cum authenticis Romanis exemplaribus consonantia, et de evulgandi licentia ; (de imprimendi et evulgandi conditionibus agitur in Tractatu de celebratione Missæ, Q. 153 ; quæ ibi dicta sunt pro Missali æquo jure applicantur Breviario) ; — 2º Expositio de Anno et ejus partibus, seu Computo Ecclesiastico : — 3º Kalendarium ; — 4º Rubricæ generales.

Sequitur tunc ipsum Breviarium, cuius sectiones sunt quinque : 1º Psalterium per hebdomadam dispositum, cum Ordinario Officii de Tempore ; quod Ordinarium continet Invitatoria, Hymnos, Antiphonas, Capitula cum suis Responsoriis, Versus, Preces et Suffragia, in singulis Officiis Dominicarum et Feriarum dicenda. — 2º **Proprium de Tempore**, in quo Dominicales et quotidiane Feriarum Lectiones cum Responsoriis, et Orationes assignantur ; et notantur ritus peculiares diversis anni temporibus convenientes. Ibi reperiuntur Festa præcipua de Mysteriis vitæ, passionis et resurrectionis Domini, Sanctissimæ Trinitatis, Sancti Spiritus. — 3º **Proprium Sanctorum**, continens Lectiones, Orationes et reliqua, si habeantur propria, dicenda in Officiis quæ recitantur in Sanctorum Festis, et

*La cuaresma empieza el Domingo siguiente al sacerdote de ceniza y el Miércoles de ceniza comienza el ayuno cuaresmal.*

etiam in quibusdam secundariis Festis Domini, ex. gr., Sanctissimi Nominis Jesu, Sacratissimi Cordis, Pretiosissimi Sanguinis, Transfigurationis, etc. Excipiuntur ea Sanctorum Festa quæ occurrunt inter Nativitatem et Epiphaniam Domini, quæ reperiuntur in secunda Breviarii sectione, seu Proprio de Tempore. — 4º **Commune Sanctorum**, in quo traduntur omnia quæ spectant Psalmodiam, Lectiones et Orationes, communiter seu generatim eadem dicenda in Officiis Sanctorum ejusdem classis (classes autem variæ ordinatae habentur, nempe Apostoli, Martyres, Pontifices, Confessores, Sanctæ Virgines, Sanctæ non Virgines) ; item in Dedicatione Ecclesiarum, et in Festis ac Officiis B. Mariæ V. per annum. — 5º **Appendix** Breviarii, continens : 1º Officium parvum B. Mariæ V. ; 2º Officium Defunctorum ; 3º Psalmos Graduale et Pœnitentiales cum Litaniis majoribus ; 4º Ordinem commendationis animæ ; 5º Benedictionem mensæ ; 6º Itinerarium Clericorum.

Istæ quinque sectiones constituunt Breviarium Romanum proprie dictum. Adjunguntur dein ordinarie Officia quæ ab Ecclesia universalis non sunt celebranda aut celebrata, nempe : 1º Officia votiva per annum pro singulis hebdomadæ diebus, quæ sub statis conditionibus ad libitum recitari possunt loco quorumdam Officiorum ipsius Breviarii ; — 2º Officia Festorum quæ aliquibus locis concessa sunt, et ex privilegio celebrantur, et ab aliis privilegio non gaudentibus celebrari non possunt ; — 3º Officia dicta Diocesana, nempe Festorum quæ unicuique Diocesi exclusive celebrare indulxit Apostolica Sedes.

**NOTA. I.** Dictum fuit Breviarium ordinarie distribui in quatuor partes, quæ sunt *Hiemalis*, *Verna*, *Æstiva*, *Autumnalis* ; pro commoditate utentium introducta fuit hæc distributio ; nam proprie Breviarium uno constat volumine, quod tunc « Totum » vocatur, in quo Officia totius anni destribuntur a Dominica I Adventus usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, et pro Festis a die 29 Novembris, pro Commemoratione S. Saturnini, Martyris, usque ad eamdem diem 29 Novembris, pro Vigilia S. Andreæ, Apostoli. — Hujusmodi Breviarium Totum aliquando etiam eo modo componitur, ut Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum divisa habeantur.

tur in plures fasciculos. — Generalis est usus Breviarii in quatuor partes distributi.

NOTA. II. Pro commoditate Cleri ad recitationem Officii usum liber specialis, inscriptus : Horæ diurnæ Breviarii Romani ; continet pro toto anno omnes Horas quæ censemur recitari a summo mane usque ad noctem, seu per diem, nempe Laudes Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertas et Completorium ; ergo omnes Horas Officii præter Nocturnos Matutini. — Editur cum approbatione S. Rituum Congregationis, et evulgata fuit etiam Editio typica.

Insuper pro commoditate Cleri ediderunt Typographi varios libellos continentia varia Officia e Breviario extracta ; existant nempe sequentes : — Officium Hebdomadæ Sanctæ et Octavæ Paschæ, secundum Missale et Breviarium Romanum ; — Officia votiva per annum a SS. D. Leone XIII concessa, sine vel cum additamentis quæ ad Officia ista integre recitanda pertinent ; — Officia de Passione Domini quæ recitantur statim diebus a Septuagesima usque ad Tempus Passionis ; — Officia Festorum majorum eorumque Octavarum, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, Festi Omnim Sanctorum cum Officio Defunctorum. — Hæc omnia eduntur cum debita licentia et approbatione Ordinarii, sed horum editiones typicæ non reperiuntur.

Q. 78. Quid est Martyrologium ? Da breves regulas de eius usu.

R. I. Martyrologium vi vocis idem est ac Sermo de testibus : martyr enim testem significat, quia Martyres Christi fidem suo sanguine testati sunt, quod et confessione sua alii Sancti fecerunt ; quorum etiam habetur in Martyrologio memoria, sed a potiore Sanctorum parte, nempe a Martyribus sumitur appellatio. — Martyrologium Catalogus est Sanctorum, addito ut plurimum aliquo brevi in uniuscujusque laudem elogio, ita dispositus ut memoriae Sanctorum suis per annum propriis festisque diebus recenseantur.

Antiquissima est Martyrologii origo ; varia enim prodierunt in Oriente Martyrologia sæculis quarto et quinto, et in Africa circa annum 525 ; quibus successit celebre illud Martyrologium quod Hieronymianum appellatum fuit, quamquam certissime Sancto Doctori non debeat tribui. Hujus ætatem fere attingunt, sæculo VII nempe vel ineunte VIII conscripta, Martyrologium quod Vetus vel Parvum Romanum nuncupatum est, et Bedanum, confectum scilicet a Sancto Beda

Venerabili († 735), quod tamen in codicibus nondum repertum est purum, sed interpolationibus Flori, Subdiaconi Lugdunensis, circa annum 830 auctum. Deinde sæculo IX ex ordine concinnata sunt Martyrologia Rabani Mauri, Archiepiscopi Moguntini († 856), Adonis, Archiepiscopi Viennensis (875), et omnium latinorum maxime celebratum Usuardi, monachi Sangermanensis apud Parisios († 876?).

Martyrologium Usuardi editum fuit a Molano, Doctore Lovaniensi, anno 1573. Ex Usuardino tandem, opera præcipue Cæsaris Baronii († 1607) emendato et aucto, auctoritate Sanctæ Sedis ortum est Martyrologium Romanum, quod Litteris Apostolicis die 14 Januarii 1584, datis approbatum, pro usu liturgico solum adhibendum præscripsit Gregorius XIII. Postea fuit recognitum auctoritate Urbani VIII et Clementis X ; auctum et castigatum labore et studio Benedicti XIV, anno 1749 ; et iterum diligentissime recognitum et emendatum jussu Pii IX, anno 1873. Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio, probante Summo Pontifice Leone XIII, novam editionem imprimi decrevit, ad instar cujus omnia alia imprimi debent, accedente auctoritate Ordinarii loci ubi imprimuntur. (Cfr. De Smedt, *Introductio generalis ad historicam ecclesiasticam*. 1 vol. Bruxellis, 1876, pag. 127 ; H. Laemmer, *De Martyrologio Romano, Parergon historico-criticum*. 1 vol. Ratisbonæ, 1878 ; Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900, pag. 202.)

II. Pro ritu legendi Martyrologium sint sequentes breves regulæ excerptæ ex Rubricis ipsius Martyrologii Romani, et ex variis S. Rituum Congregationis Decretis.

1. Martyrologii lectio in peragendo divino Officio in Choro præcepta est ; in recitatione privata magnopere cupit Summus Pontifex Gregorius XIII, ut omnes illud quotidie legant. Triduo ante Pascha lectio omittitur.

2. Martyrologii lectio recitat ad Primam, ante versum *Pretiosa* ; lector non petit benedictionem, sed absolute incipit ; in fine semper additur : *Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, et Confessorum, atque sanctarum Virginum*. Et respondetur : *Deo gratias*.

— In Choro Martyrologium cantatur in Tono Lectiōnum Matutini, quemadmodum describitur in ipso Martyrologio post Rubricas.

3. Legitur semper praecedenti die lectio illa quae indicationes et memorias Sanctorum sequentis diei continet. Primum indicantur Kalendae, Nonae vel Idus, deinde quantitas Lunae, tunc leguntur memoriae Sanctorum, addita in fine conclusione ut supra.

4. Festa, de quibus eo die fiet Officium, semper primo loco ponuntur. Pro observatione hujus regulae sequentia notantur :

a) Quidam Sancti, quorum Officia fiunt in particularibus locis, elogium non habent in Martyrologio, quales sunt nonnulli qui in nostra Dioecesi coluntur ; in casu pridie ejus Festi enuntiabitur primo loco nomen hujus Sancti, addita, pro elogio, ejus qualitate ; ex gr., ad Undecimo Kalendas Martii (19 Februarii) : *Sancti Bonifacii, Episcopi et Confessoris.*

NOTA. Beati non canonizati in Martyrologio adscribi vel imprimi non possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 31 Augusti 1680, n. 1651, antiq. 2927.) Attamen, quando celebratur alicujus Beati Festum, nominari potest, et quidem primo loco.

b) Quando alicujus Sancti Officium transfertur, sive perpetuo, sive accidentaliter, dicitur quidem ejus elogium in sua propria die quemadmodum datur in Martyrologio ; pro die translationis vero iterum annuntiatur, sed breviter ; ex. gr., *Officium Sancti N.* (addita qualitate), *cujus festum fuit*, vel, *de quo agitur* (data indicatione Kalendarum). (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembbris 1741, n. 2365, ad 4, antiq. 4119, ad 8 ; et 7 Decembbris 1844, n. 2872, ad V, 1, antiq. 4985, ad X, 1.)

c) Festa mobilia, singulis annis diversis diebus celebra, partim reperiuntur nuntiata in principio ipsius Martyrologii ; reliqua etiam suis diebus annuntiantur.

d) Dies infra Octavam alicujus Festi numquam annuntiatur, etiamsi de ea fiat Officium ; sed Octava dies cuiuscumque Festi habentis Octavam annuntiatur, primo loco si de ea fit Officium, secundo loco si ejus tantum fit commemoratio.

e) Vigiliæ enuntiantur semper primo loco ante Festa quæcumque ; et si propter Dominicam Vigiliæ alicujus Officiū anticipatur in Sabbatum, aut si Festum cuius Vigilia est transfertur, semper tamen annuntiatur Vigilia ea die tantum qua in Martyrologio describitur.

f) Officia Votiva debent annuntiari. (S. Rituum Congregatio, Decret. 8 Augusti 1835, n. 2735, antiq. 4767, ad 4.)

g) De Dominicis (exceptis Dominicis Septuagesimæ et Palmarum), de diebus infra Octavas, et de Feriis (exceptis Feriis IV Cinerum, et V in Cœna Domini), nihil in Martyrologio annuntiatur.

5. Speciale datur initium lectionis Martyrologii quæ fit in die festo Paschæ ; etenim, quia in Sabbato sancto Martyrologium non legitur, ut dictum fuit supra n. 1, Pascha annuntiatur ipsa die Festi Paschæ in Prima : antequam legantur Kalendæ sequentis diei, omnibus detecto capite stantibus, dicitur : *Hac die quam fecit Dominus, Solemnitas solemnitatum, et Pascha nostrum : Resurrectio Salvatoris nostri Jesu Christi secundum carnem* ; deinde, omnibus sedentibus, pronuntiantur Kalendæ, et legitur Martyrologium sequentis diei.

6. Singularis ritus observatur in Vigilia Nativitatis Domini ; etenim, dictis præcedentibus tono consueto, ad verba : *in Bethlehem Iudæ nascitur ex Maria Virgine factus homo*, omnibus genua flectentibus, extollit Lector vocem ad quartam superiorem ; dein versum sequentem, nempe : *Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem*, altius cantat in tono Passionis, uti describitur in Martyrologio post Rubricas. Quod sequitur dicitur in tono Lectionis consueto. — In nonnullis Ecclesiis hoc Martyrologium solet solemniter cantari ab Hebdomadario, cum Stola et Pluviali, thure et luminaribus. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 12-18 Novembbris 1831, n. 2684, antiq. 4672, ad 21.) — Non permittit S. Congregatio ut, ob majorem solemnitatem, hoc Martyrologium, Vigiliæ proprium, solemniter cantetur in ipso Festo Nativitatis. (Decret. 22 Januarii 1707, n. 2176. antiq. 3759.)